

meticam *Magicis* annumeremus, (quod tamen eorum pace non fecerimus, qui quid *Magia* fuerit veteribus norunt,) num ideo in tantas angustias Magos conjiciemus, ut rei, & falsitatis & vilitatis nomine traductæ magnitudinem, certitudinemque quatuor aut sex oculis ingenuos discipulos edocere nequeant? Sed quid verbis opus? Transferant ij, quibus Græcia heic tanto pe- rē amata, Tabulam è vestigiis Latinæ versionis in Græcum idioma; nobisq; dicant, utrum magis ideam nexus atq; fluxus orationis Græcanicæ inducere contextui possint, quàm efficere, ut stricta Germanorum vestis Sarmatarum more fluitet, si è panno Polonico eam vel maximè curaverint conficiendam. Tantum de idiomate.

### CAPUT III.

#### *Inscriptiones tabulae, duoque incisa illustrantur.*

JAM ad Tabulam ipsam. Dicitur ea *Smaragdina*; quod Smaragdo lapide parata; tenuisse creditur *Hermetis* verba insculpta; usitatâ *Hermetis* ævo ratione artes ac scientias posteritati committendi. Phœnicibus Ebræisque absq; dubio vocata fuit, לוח ברקת *Tabula Smaragdi*; ut divinæ è lapide tabulæ apud *S. Mosen* לוח אבנים *Tabula lapidum* i. e. *lapideæ* appellantur. Cæterum inscriptio eidem hæc est: VERBA SECRETORUM HERMETIS TRISMEGISTI. Quæ prætereunda minimè; quum initio statim Genius tabulæ Phœnicus rejectâ veste Latinâ prodire nudus in publicum fatagat. Loquendi nimirum forma, *verba secretorum*, ex Oriente est, non è Græciâ vel Latio: eoq; Ebraismi beneficio explicanda. Vox רבך quæ notatione *verbi* item rei plu-

plu-